



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

Dominica Trinitatis Evangelivm Iohan. III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

PENTECOSTES. 9.

TERTIA RESPONSIO.

NEC ualet consequentia: Apostoli hæc retinuerunt, ergo licet Ecclesiæ noua instituerent, tanquam cultis. Neganda est consequentia, quia Apostoli non instituerunt, sed retinuerunt hunc ritum, propter causas, quas dixi.

Deinde etiam si quid noui instituisent, non sequitur, imitationem concessam esse. Semper hæc imitatio nocuit Ecclesiæ. Primum Patres mandato diuino instituerunt certos ritus, & sacrificia postea imitatio ex falsa persuasione, excogitauit uaria sacrificia, etiam hominum mactationes. Ac minime ualet consequentia: Apostoli retinuerunt propter disciplinam & scandalum, ergo licet imitari, aut fingere nouos cultus.

Neque hæc consequentia ualet: Apostoli quosdam ritus tradiderunt, ergo licet cæteris Episcopis, nouos ritus instituire. Quia Apostolica uocatio longe superat Episcopalem. Apostolis primum tradidit Deus nouum ministerium, & per eos instituit aliquid noui. Episcopus uero est auditor, & accipit uerbum, & ritus ab Apostolis, cum certo mandato, ut hæc non mutata tradat Ecclesiæ.

DOMINICA TRINITATIS EVANGELIUM,

b Iohan.

DOMINICA

Iohan. III.

ERat autem homo ex Phariseis Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic uenit ad Ihesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus, quod a Deo ueneris magister, Nemo enim potest hec signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Ihesus & dixit ei: Amen Amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo, non potest uideri regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Nunquid potest in uentrem matris suæ iterato introire, & nasci? Respondit Ihesus: Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est, Et quod natum est ex spiritu, spiritus est, Non mireris, quod dixi tibi, quod oportet uos nasci denuo. Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis, sed nescis unde ueniat, aut quo uadat. Sic est omnis, qui natus est ex spiritu. *Re-*

Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Ihesus, & dixit ei: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? Amen amen dico tibi, quia quod scimus, loquimur, & quod uidimus, testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi uobis, & non creditis, quomodo si dixerero uobis cœlestia, credetis?

Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo. Et sicut Moses exaltauit Serpentem in deserto, Ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat uitam æternam.

Disputatio est, de discrimine iusticiæ rationalis, & iusticiæ fidei, qua uere tollitur peccatum & mors, & fit regeneratio ac inchoatio uitæ æternæ. Ac primum quidem considerata est caligo Ecclesiæ eius tēporis. Mirum est præcipuos doctores ignorasse uerā doctrinam de iusticia fidei, & tantū iusticiam Legis seu ratio

b ij nalem

DOMINICA

nalem docuisse, & affinxisse, hac tolli peccatum, hanc mereri uitam aeternam, hanc satisfacere Legi Dei. Ideo Christus seuerè obiurgat Nicodemum: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? Porro hic cogitemus similes tenebras & errores perpetuo in Ecclesia extitisse, Ac ante Augustini tempora fere penitus extincta fuit lux de doctrina fidei, per Origenem, & Pelagium. Augustinus rursus utcunque accendit. Deinde iterum obscurata est somnijs Monachorum.

Sed ut ad rem redeamus, sciendum est duplicem esse iusticiam. Altera est rationis, quæ est obseruatio externorum operum Decalogi, quæ cum sit difficilis, & à paucis præstetur, magnum & ipsa decus est. Ac humana infirmitas a deo miratur eam, ut solam sufficere existimet, & satisfacere Legi Dei. Nec dubium est, omnes qui errant de iusticia fidei, eo errare, quia sic admirantur hanc disciplinam, ut nolint uideri interiora peccata, quæ manent, etiamsi externa disciplina sit optima, uidelicet dubitatio de Deo, esse sine uero timore Dei, sine uera fiducia, & dilectione, sese admirari, habere fiduciam sui. Et quidem hæc uitia maxime sunt in illis, qui propter uirtutis studium antecellunt cæteris.

Sed tamen sciant homines, hanc disciplinam necessariam esse, propter quatuor causas. Videlicet

cet, propter mandatum Dei, ad uitandas pœnas, propter communem tranquillitatem, & quia est Pœdagogia in Christum, id est, in his qui persecerant in sceleribus contra conscientiam non est efficax Euangelium, Sed repugnant Spiritui sancto uocanti eos. Quanquam autem necessaria est, tamen agnoscamus eam nequaquam Legi Dei satis facere, nec sine peccato esse. Consideremus autem interiora peccata contra utranque tabulam, sed præcipue contra primam, quæ quia non uidet ratio, tantum de externa disciplina cogitat. ut significatum est in Typo. Populus non poterat ferre fulgentem Moysi faciem, sed uelam uidebat. Sic nos externam Legis umbram utunque intuemur, non uidemus quæ peccata interiora Lex iudicet, accuset, & damnet. Non intelligimus, quantum postulet hæc uox: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde &c. quis uolens obtemperat Deo, si mors oppetenda sit in confessione, & uocatione? Manent igitur peccata in homine, etiam si freno discipline satis duro regitur. Hæc de priore iusticia primum scienda sunt.

Altera est iusticia fidei, quam hic declarat Christus. Orditur autem à signo externo: Nisi quis renatus fuerit ex spiritu & aqua. Nec putemus fuitam esse contionem totam, facta mentione signi & Spiritus sancti, sed mox adiungenda est con-

DOMINICA

tio de fide. sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, sic oportet exaltari filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non percat. Hæc contio est coniungenda superiori parti, imò superior est $\pi\alpha\rho\alpha\sigma\kappa\epsilon\upsilon\eta$ ad hunc locum de fide.

Sed quare à signo orditur? Dux sunt cause. Vult exordium sumi à prædicatione uerbi, que cum signo coniuncta est, & uult in prædicatione pœnitentiæ argui peccatum, & monstrari Christum, ut faciebat Ioannes, Agite pœnitentiam, & credite Euangelio. Et hoc ipso loco Christus arguit uaturam captiuam peccati: quod natum est ex carne, caro est. Taxatur enim cœcitas Pharisei non habentis lucem spiritualem, non uidentis interiora peccata, dubitationes de Deo, uacuitatem timoris, & dilectionis Dei, admirationem sui, fiduciam sui &c. Hæc peccata & iudicat Spiritus sanctus, in prædicatione pœnitentiæ, & Christus hic taxat. Quod natum est ex carne, caro est, id est, sine luce spirituali, sine uero timore. Phariseo hæc noua sunt, qui nihil nisi disciplinam querit aut miratur, nec uidet peccata interiora. Ideo ea, quæ de regeneratiõe diuina dicuntur, iudicat absurda esse, sed duriter à Christo obiurgatur.

Deinde pertexit Christus doctrinam de iusticia fidei, & repetit contionem de pœnitentiâ, quasi dicat, noli rem paruam ducere peccatum,
aut

aut iram Dei. Oportet crucifigi Messiam, ut
 ira Dei placatur. & sic eris renatus & iustus, si
 credas in illum crucifixum. Est igitur hæc iusticia *in ista fide*
 fidei, cum expauescimus a gnitione iræ Dei aduer-
 sus peccatum, credere, quod propter filium Dei
 pro nobis immolatum, æternus pater & conditor
 sit nobis placatus & propicius, remittat nobis pec-
 cata, & recipiat nos, ac iustos pronunciet.

Sumus igitur iusti, id est, habemus remissio-
 nem peccatorum, & sumus accepti, propter fi-
 lium, cum hac fide seu fiducia cor in uera pœni-
 tentia erigitur, & apprehēdit remissionem pecca-
 torum, & acquiescit non in propria dignitate, sed
 in filio Dei. sicut dulcissimè pingitur in hac imagi-
 ne, in qua dicitur Ovis inuenta tolli in humeros.
 Estq; hæc fides non tantum noticia, qualis est *Fides*
 etiam in impijs, sed est fiducia misericordiæ.
 Iuxta illud: Omnis qui credit in eum non confun-
 detur. Estq; motus spiritus sancti intuens Chri-
 stum & acquiescens in illo. & fit, cum uerbo pro-
 missionis erigimur, sicut Paulus clare dicit ad Ga-
 latas, ut promissionem spiritus accipiamus per fi-
 dem. Cum igitur accensa est in corde fiducia mise- *Cultus q̄ fide
 sequitur.*
 ricordia, sequuntur inuocatio & dilectio, & alij
 boni motus. Nam dilectio non potest existere,
 nisi præcedat illa fiducia, apprehendens miseri-
 cordiã. Tantisper Deum fugit mens humana, nec
 b iiij potest

DOMINICA

potest diligere, nec expectare ab eo bona, donec sentit iram Dei. Hæc ita esse experientia testatur, sed homines securi ideo reclamant, quia hoc certamen eis ignotum est.

Hæc est regeneratio, de qua hic concionatur Christus, cum hoc modo fiducia filij Dei per Spiritum sanctum in pauoribus sustentamur, & liberamur à terroribus peccati, & ab æterna morte. Postea de effectibus fidei alia questio oritur,

*E fforty fidei
nona vbi
dionna*

*In renatis
manet p[er]m*

*Testimonia
scriptura
qui d[icit] o[mn]i
ni sanctis
ad huc ma-
nent p[er]m*

scilicet de noua obedientia. an propter eas qualitates persona sit iusta, id est, an satisfaciat Legi, sit sine peccato, sit iusta, hoc est, accepta coram Deo ad uitam æternam, propter illas uirtutes. Hic sciamus, quòd hæ nouæ uirtutes non satisfaciant Legi Dei. Item, quòd in renatis manent peccata, laborant enim dubitatione, diffidentia, non timent, non diligunt Deum, ut debebant manent & alij multi errantes motus. Ideo semper statuendum est de renatis, personam placere Deo fide propter Christum, non propter propriam dignitatem, seu proprias uirtutes. sicut clare testantur hæc dicta, Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum. Item, Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Item, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Nec esset difficilis dijudicatio huus questionis, si deformitas

TRINITATIS. 13.

deformitas nostræ naturæ nobis in conspectu
 esset. Ideo enim amplificatur qualiscunque obe-
 dientia, quia naturalis immundities non satis
 conspicitur. sed pij aliquo modo eam agnoscunt,
 grati igitur amplectuntur hanc consolationem,
 quòd fide propter mediatorem sint iusti, id est, *fide sumus*
 accepti, non propter propriam dignitatem, seu *iusti*
 novas qualitates, seu opera. Et tamen oportet
 inchoatam obedientiam in renatis esse, iuxta illa *inchoata o-*
 lud: Nihil nunc damnationis est ijs, qui sunt in *bedempta*
 Christo Iesu, qui non secundum carnem ambu- *si in re-*
 lant, sed secundum spiritum. *natis*

QV MODO PLACET
 hæc obedientia?

HIC semper tria iungantur. Primum sta- 1
 tuendum est personam habere remissio-
 nem, & placere, propter Christum media-
 torem. Secundo agnoscendum est, & dolendum, 11
 quòd hæret in nobis peccatum, & quòd obedien-
 tia nostra ualde imperfecta & contaminata
 est, Sciendumq; Ecclesiam propterea subiectam
 esse cruci, & ingentibus ærumnis, ut agnoscan-
 tur & mortificentur reliquæ peccati. Tertio sta 117
 tuendum est, quòd tamen requirat Deus hanc
 obedientiam, & quòd in renato quanquam im-
 b v perfe-

DOMINICA

Patrg.

perfecta placeat, non propter sese, sed propter Christum, ut Petrus inquit: Offerte hostias spirituales, acceptas Deo per Ihesum Christum. Hic sedet ad dexteram patris, ut assidue pro nobis interpellat, hic pontifex nostras preces ad patrem perfert.

Hæc sunt simplicia, plana, & nihil habent perplexitatis, retinetur certa consolatio, tribuitur mediatori Christo suus honos, retinetur doctrina necessaria ad inuocationem, quæ fieri non potest, si mens fugit Deum. additur & doctrina de obedientia, & excluduntur arrogantia & desperatio. Hypocritæ iactant se satisfacere Legi Dei. Econtra nos testamur homines non posse satisfacere Legi Dei, & tamen obedientiam inchoandam esse, & placere propter Christum. Hic magnitudo misericordiæ Dei prædicatur, quòd recipit & approbat hanc quamuis mutilam, & multis modis contaminatam obedientiam. Hæc ipsa magnitudo misericordiæ nos hortetur ad bene operandum, Quanta enim consolatio est militi, & Scholastico scire, quòd hæc animi patientia in militia, aut in paupertate & miserijs scholasticis, Deo placeat propter Christum, ut dixi.

Complexus sum summam ueræ doctrinæ Euangelij de iustificatione, de qua Christus conuincionatus est in disputatione cum Nicodemo.

ncc

TRINITATIS. 14.

nec est inutile regione Antithesin considerare. *Antithesis.*
 Est autem primus error aduersariorum, quod im- *Error papis.*
 ginantur homines posse satisfacere Legi Dei. *104*

Secundus error, quod somniant hominem me- *11*
 reri remissionem peccatorum proprijs operibus.

Tertius error, quod prorsus silent de fide ac- *111*
 cipiente remissionem peccatorum, propter Chri-
 stum. Imo addunt contrariam sententiam, scili-
 cet quod homo debeat semper dubitare, an sit in
 gratia.

Quartus error, quod fingunt opera renati *1111*
 esse impletionem Legis, & meritum uite aeternae,
 cum tamen ne ipsa quidem opera renati, & disci-
 plinam rationalem discernere possint.

Quintus, cum nihil dicant de fide, imo iu- *v*
 beant dubitare, non possunt recte docere iustifica-
 tionem, & tantum tradunt Ethnicam inuocatio-
 nem, cum clamitet Christus: Quicquid petieritis
Patrem in nomine meo, dabit uobis, id est, non fiducia
uestrae dignitatis, sed fiducia Christi mediatoris.

DOMINICA PRIMA POST
 TRINITATIS, EVANGE.
 Lucae XVI.

Homo autem quidam erat diues,
 & induebatur purpura & bysso,
 & epula.